UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1690

Sectio VII. Aliæ nonnullæ questiones circa excommunicationem aliásve censuras proponuntur & exponuntur.

urn:nbn:de:hbz:466:1-61641

Visual Library

haberi abſolutus, etiamſi hoc aſſerat, niſi literas ſuæ abſolutionis oſtendat *cap. ſicut 39. h. t.* cùm nunquam debeat præſumi abſolutus, qui ſemel excommunicatus eſt, niſi abſolutionem probet, ad Eccleſiaſticam diſciplinam conſervandam: ſed nec abſolutus ab excommunicatione Papali cenſeri debet, quem datis ad eum literis, ſalutat poſtea Pontifex, aut cui benedictionem Apoſtolicam impertit *cap. ſi aliquando 41. h. t.* cùm hæc ſalutatio vel per ignorantiam, vel per negligentiam, vel per nimiam occupationem, aut ſubreptionem, ut ait Pontifex, contigiſſe potuerit. Si tamen ſcienter Pontifex cum excommunicato, verbo vel ſalute, vel alio quovis modo &c. communicet & exprimat, quòd per hæc eum pro abſoluto habere velit, abſolutus haberi debet, uti colligitur ex *Clement. ſi ſummus 4. h. t.* & expreſſa verba probant.

SECTIO VI.

Aliæ nonnullæ quæſtiones circa excommunicationem aliáſve cenſuras proponuntur & exponuntur.

PLeraque, quæ in pluribus hujus ſectionis §§. quæruntur, vel alibi explicata jam fuerunt, vel intelligi ſatis poterunt ex alibi dictis. Videantur etiam *cap. 6. 12. & 14. h. t. in 6.*

SECTIO VII.

De ſecunda cenſura Eccleſiaſtica nempe ſuſpenſione.

§. I.

Quid & quotuplex ſit ſuſpenſio Eccleſiaſtica?

SUſpenſio propriè dicta, eſt cenſura, per quam perſona Eccleſiaſtica privatur uſu ſeu exercitio ordinis, officij, aut beneficij Eccleſiaſtici, quod ipſi competit ratione alicujus poteſtatis Eccleſiaſticæ; dividitur communiter primò in totalem & partialem, illa ſuſpendit ſimpliciter ab officio, beneficio, & ordine; hæc ſuſpendit, vel ab ordine totùm, ita ut prohibeatur omne exercitium, aut certum tantùm exercitium ordinis; vel à beneficio tantùm, ſimpliciter omni, aut à certo tantùm, aut à certâ parte beneficij, per quam prohibetur fructibus beneficiis ſuſpenſus, aut ſuo beneficio, aut parte illius beneficij; vel denique ab officio ſive adminiſtratione, aut juriſdictione, per quam ſcilicet prohibetur officij, juriſdictionis, vel adminiſtrationis, quam habet, exercitium, quoad totum (quam aliqui ſuſpenſionem ſecundùm quid totalem dicunt, prout illæ etiam ſuſpenſiones dicuntur, quæ à toto beneficio, & ab omni ordine ſuſpendunt) vel quoad partem, quæ propriè